

facile dixerim. De Ceruis palmatis in Historia animalium diximus. ¶ Phœnicites lapis dictus est à similitudine balani, id est, fructus palmæ arboris, quam phœnicē Græci vocant. ¶ Circos piris similis est, Plinius.

Q. Dryn Græci nominant Quercum, vnde Dryitæ lapidi nomē. Dryites trūcis arborum similis est, & ligni modo ardet, Plinius. Etsi autē lignū quernum sub terra, vt & alia multa, tēporis longinquitate aut alia vi, lapide scere potest, & Dryites appellari: videtur tamen alius esse Plinij Dryites, nō ex ligno mutatus, sed à natura sic factus. Ex eo quidem quòd ligni modo ardet, bituminis non nihil ei misceri vel totum esse bituminosum & Gagatæ cognatum coniecero. Pyriten è querno ligno Io. Kentmanus habet: qui Dryiten etiam ad me misit, titionis specie, nigrum, friabilem, gustu atramentosum: fumo, si vras, sulfureo.

Quernum lignum aquismersum,